










DA-BOX





ASSERTIONES DE QVARTO PRÆ-CEPTO PROPOSITÆ

in disputationem

à

Nicolao Hemmingio,

anno 1569. in

Decembrj.



Hafniæ,
Excudebat Laurentius
Benedictus.
1569.

1. T ſuperiora præcepta ſub dilectione Dei tanquam capite: Ita ſequentia ſub dilectione proximj cōtinētur. Quare vt dilectio Dei moderatrix eſt omnium actionum interiorum & exteriorum primæ tabulæ: Ita dilectio proximj moderabitur ea quæ debēus proximis, & præſcribuntur in ſecunda tabula.

2. Hinc fit, quòd, quicquid facit ad caritatem proximis exhibendam contineatur in ſecunda tabula, etiamſi verbis expreſſum non ſit, & contrà quicquid non eſt contrà dilectionem proximj in ſecunda tabula nequaquam prohibeatur. Huius regulæ obſeruatio multis quæſtionibus diluendis ſeruiet.

3. Cum autem dilectionis proximj ſunt plures gradus, & inter hos primus eſt parentum, meritò primum præceptum ſe-



secundæ tabulæ est de liberorũ officio erga parentes: quod ex dilectione nascitur.

Est autem hoc præceptum: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, vt sis longæuus, & benè sit tibi super terram. 4.

Quoniam autem hoc præceptum latissime patet, nec possunt omnia simul commodè explicarj, visum est nobis particulatim de singulis agere, quæ sunt huius præcepti præcipua. 5.

In hac proinde collatione exponam tria (quemadmodum in reliquis quoq; faciemus Deo volente) quorum primum est, debitum officium, secundum præmium præstiti officij, Tertium enormitas reatus neglecti officij & eiusdem iusta pœna. Vsum præcepti prætereo, qui vnus & idem est omnium præceptorum, & à nobis traditur, in assertionibus de primo præcepto scriptis. 6.

7. *Primum ergo debitum officium liberorum erga parentes querendum est, & quo iure obligantur liberi ad officium præstandum.*

8. *Est autem hoc officium liberorum erga parentes (quod per Synecdochen honoris vocabulo continetur) in duobus positum, videlicet, in honore parentum, & in premio nutricationis illis reddendo. Quorum prius dignitati, posterius necessitati parentum tribuendum est.*

9. *Etsi autem honor parentibus debitus manat ex charitatis fonte: tamen causas hic concurrentes videre vtile est: quæ quatuor muneratj possunt. Videlicet, agnitio ordinationis diuinæ, Timor Dominj, naturalis ratio, & ϛοργὴ diuinitus homini ingenita.*

10. *Primum itaq; inuitabit liberos ad honorem exhibendum parentibus, quòd*

illorum

illorum autoritas & eminentia sit ordinatio diuina, nihil enim voce Dej honorabile dici potest nisi idem à Deo profectum sit, & ordinatum, adhæc, considerandа est diuinæ maiestatis similitudo quædam in parentibus, nempe quòd filiis sint causa vitæ generando vt Deus creando: quæ res monet vt non tam quales, quàm quòd parentes habeamus æstimemus.

Secunda honoris parentum causa est 11.
timor Domini præcipientis hunc honorem, Qui timet (ait Syracides) dominum, honorat parentes, proinde qui non honorat parentes Dej maiestatem contemnit.

Tertia honoris parentum causa est 12.
naturalis ratio, quæ dictat, quòd inferiora debeant subiectionem & honorem superioribus, tanquã dignioribus præ-

ſertim benemeritis. Qui ergo hunc ordi-
nem perturbat, legem naturæ pro nihilo
habet, conferendus viperinæ ſobolj.

13. Quarta honoris parentum cauſa eſt στοργή diuinitus homini ingenita, quæ in multis Ethnicis, item in brutis vt in aquilis, gruibus & ciconiis agnoſcitur.

14. Cauſis honoris parentum cognitis, videamus in quibus rebus legitimus parentum honor conſiſtit: vt explicatè intelligatur quàm latè pateat vis honoris erga parentes.

15. Etſi autem alij aliter de gradibus huius honoris ſtatuunt: Ego tamen ſeparans cauſas ab effectis tres præcipuos gradus facio, non eos reijciens qui vel plures vel pauciores numerant.

16. Sint ergo nobis hi gradus. Primus, pia reuerentia. Secundus, caſtus timor. Tertius prompta obedientia. Reuerentia

emi-

*eminentiam & ordinem diuinũ agnoſci-
mus, timore offenſam cauemus, obedien-
tia debita præſtamus obſequia quæ ſi-
mul dilectionis à qua naſcuntur* ἀκολουθα
ſunt.

Pia reuerentia eſt externa teſtifica- 17.
*tio vt qua veneramur parentum digni-
tatem & eminentiam quam ſuſtinent,
& humiliatio quædam qua nos illis ſub-
mittimus, tanquam dignioribus non ſi-
ne admiratione ordinis diuini. Nam om-
nis reuerentia admirationem coniunc-
tam habet.*

Hæc externa reuerentia ſignifica- 18.
*tur non eodem modo vbique, ſed pro na-
tionum diuerſitate variat, in genere au-
tem cõtinetur tribus, videlicet, geſtibus
corporis, verbis, & obſequiis non impe-
ratis, ſed ſpontaneis. Hæc enim tria te-
ſtantur de animo rectè ſentientis de ali-
cuius virtute & dignitate.*

Caſt-

19\. *Castus timor filiorum, ex persuasione amoris parentum erga se natus, facit vt caueamus parentes offendere, vllo vel facto vel dicto vel signo.*

20\. *Prompta obedientia erga parentes tertium honoris gradum obtinet, quæ est mandatorũ quæ nobis imperantur à parentibus prompta & debita excutio.*

21\. *Hic tenendũ est discrimen inter obedientiam quam Deus postulat, & quam parentes requirunt, illa caret omni exceptione, hæc certis terminis clauditur.*

22\. *Nam si parentes aliquid iußerint, vel contrà Deum, vel contrà salutem filiorum, vel contrà naturam, vel contra leges patriæ iustas, vel contra legitimum magistratum, nequaquam illis obtemperandum est. Magis enim Deo quàm homini obtemperare oportet.*

23\. *Hic locum habet dictum Domini*

Lucæ

Lucæ 9. Si quis venit ad me & non
odit Patrem & Matrem ſorores & fi-
lios & fratres, præterea etiam animam
ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Hic odiſſe parentes non eſt paren- 24.
tibus malè velle, ſed ijs qui impiè imper-
ant aduerſarj, atq; ea fugere non ſecus
atq; peſtem animarum. Sic multæ ſanc-
tiſsimæ virgines olim fecerunt, quæ po-
tius vitam amittere quam impia pa-
rentum imperata facere non dubitarũt.

Hactenus de ea parte officij libero- 25.
rum erga parentes, quæ ad illorũ digni-
tatem pertinet dictum ſit, nunc pauca
adijciamus de premio nutricationis quæ
pars neſsicetati ipſorum ſeruiet, & eſt
ſincerj honoris effectus.

Cum nulla ſit ingratitudo crudelior, 26.
nulla nequior, nulla diuina vindicta
dignior, quàm ingratorum liberorum

in parentes, poſtulat natura, lex Dej præcipit, omnes leges humanæ exigunt, & multorum beatorum exempla confirmant, atq; adeo ipſa iuſticia clamat, vt liberi indigentibus, infirmis, ſenibus parentibus præmia nutricationis reddant.

27. *Nam cum humana natura & in ortu & occaſu, hoc eſt, in infantia & ſenectute ſit debilis, opus habet aliunde ſubſidio refugio & ſolatio. Vt ergo infantia opus habet parentum ſubſidio, refugio, conſilio, alioqui peritura: Ita ſenectus opus habet liberorum ſubleuatione, vt ipſi* τὰ θρεπτήρια *ſoluant idq; iure analogo, qui autem hæc non perſoluunt immemores ſunt beneficiorum olim à parentibus præſtitorum.*

28. *Verum hæc* θρεπτήρια *ſeu nutricationis præmia in tribus potiſſimum poſita*

eſſe

eſſe videntur, Si alis egentes, ſi mini-
ſtras infirmis, ſi pia ἐπιεικίᾳ ſenectutis
ſordes & errata tegis.

Qui alit parentes indigentes natu- 29.
ram ſequitur ducem, quæ iubet ſimili
beneficio beneficiũ compenſare: id quod
& brutis quibusdam natura impreſſit.

Ambroſius & Baſilius Ciconia- 30.
rum exemplum proponunt, quas affir-
mant parentes ſenio confectos in nidis
alere, nudatos pennis tegmine alarum
dulciter fouere, & ſi quando volandi
neceſſitas incumbit, ſupponere corpora
ſua volantium parentum corporibus, ne
in terram decidant & grauius impin-
gant, hinc ἀντιπελαργεῖν eſt more ciconia-
rum gratiam referre parentibus, eoſq;
piè colere & fouere.

De miniſterio parentibus infirmis 31.
debito loquitur Syracides Cap: 3. Qui
timet Dominum ſeruiet iis qui ſe genu-

erunt, in omni opere & ſermone, & in omni patientia. Item Fili ſubleua Patrem tuum in ſenectute neq; in vita tua moleſtia eum afficias.

32. De ἐπιεικείᾳ idem Syraſides ait: Si ſenſu deſtituatur ignoſce illi, & ne ſpernas eum in virtute tua, hoc eſt cum tu ſis ſorti & bona valetudine ne contemnas parentes παλίμπαιδας, ſordidos & imbecilles.

33. Vult ergo ſapiens vt liberi cum Parentes vicio ætatis repueraſcunt, hanc ætatis mibecillitatem & deformitatem, moderatè ferant ac tegant.

34. His officiis liberorum erga parentes accedat ſeria liberorum precatio, pro parentibus, vt Deus illis largiatur patientiam, confirmet fidem, ac tandem exitum pium de hac vita concedat.

35. Secundum quod propoſuimus eſt de præmio officij parentibus piè præſtiti-

Lex ipſa longæuam & proſperam vitā
præmium honoris parentum facit, idq;
valdè congruè. Promittitur vita lon-
gæua & proſpera ob gratitudinem er-
ga eos à quibus vitam habemus, vt præ-
mium officio reſpondeat.

Porrò huius proſperitatis ſeu feli- 36.
citatis promiſſæ pietati erga parentes
plures ſunt partes, videlicet, gratia ſpi-
ritualis, ſucceſſus in negotijs vitæ fœ-
lix, honeſtum nomen, fauſta precatio,
promiſſio leticiæ ex liberis.

De gratia ſpirituali loquitur Sa- 37.
piens cum ait: Qui honorat patrem ve-
niam peccatorum impetrat, atq; in die
precationis ſuæ exaudietur, item: tri-
buta patri benignitas non tradetur obli-
uioni, aduerſus peccata tibi propugna-
culum extruetur.

De ſucceſſu in negotijs vitæ fœlici 38.
ipſa lex potiſſimum loquitur, cum ait:

vt tibi benè sit super terram, item Syracides, bona patris precatio domos liberorum stabilit.

39. Honesti nominis, bonæ famæ & gloriæ meminit idem sapiens. Gloria hominis, honore patris comparatur, hoc est: qui patrem honorat famam bonam & gloriã apud homines sibi comparat.

30. Piæ precationis & voti hominum videntium liberos suos parentes dulciter amplecti & fouere, meminit idem Syracides cum iuquit: Tàm dictis quàm factis patrem matremq; honora, vt ab hominibus benedictio ad te perueniat.

31. Promißio lætitiæ ex liberis propriis qui suos honorant parentes, hæc est eiusdem Sapientis: Qui honorat patrem lætabitur in filiis, hoc est. Vt quis honorauerit patrem suum, ita vicißim à filiis honorabitur: iuxta regulam, par pari referendũ, item, eadem mensura &c.

His enumeratis præmij eorum qui 42.
honorant parentes partibus, addo bonã conscientiam, quæ dulcissima nutrix erit aduentantis senectutis. Quæ vel sola ad honorandos parentes natos inuitare deberet.

Tertium quod proposuimus, est de e- 43.
normitate reatus eorum qui sunt contumaces aduersus parentes, & de pœna eorundem.

Quantus sit reatus eorum, qui legem 44.
de honorandis parentibus violant, facilè est iudicare: Nam quicquid honori parentũ & eius partibus quas recitauimus aduersatur, legem violat & transgressores reos peragit coram iudicio Dej.

Nam siue in corde latet, siue ore pro- 45.
fertur, siue gestibus aut signis significatur, siue opere probatur aliquid quo dignitas parentum aliquo modo læditur, reus es violatæ huius legis.

45. *Quantus autem ſit hic reatus ex pœnis patet: primum enim immorigeris filiis à diuina maieſtate denuciatur maledictio, qua pœna nulla maior, nulla triſtior eſſe poteſt. Deut: 27. Maledictus qui non honorat patrem ſuum & matrem ſuam, & dicet omnis populus amẽ.*

46. *Cum hac maledictione, ilias, vt ita dicam malorum coniuncta eſt, quæ ex antitheſi præmiorum intelligi poſſunt, vt ſunt: ira Dej, infœlix in rebus ſucceſſus, mala fama, imprecatio ab hominibus, in propriis liberis ignominia & horrenda conſcientiæ carnificina, quæ ipſa morte grauior eſt, quæ mala tandẽ excipiet deſperatio niſi ſuccurratur per Euangelium.*

Quæſtio.

Vtrum pater pluſquàm vel mater vel filius, vel vxor diligendus ſit nec ne.